

contraria sententia adducta respondet. Neque aliud dicendum esse existimamus, licet debitor militi, qui chirographum per occupationem bellicam consecutus est, vi coactus debitum solverit. *arg. l. si per imprudentiam. si. princ. ff. de evictio. l. 55. ff. de condict. indeb.* Injuria enim, quæ hoc casu fit debitori, non debet contingere creditorem; *arg. d. l. si modo debitum generis fuerit.* Nam si certam speciem debitam hoc casu debitor vi compulsus solverit, ipse merito liberatur. *arg. l. 23. ff. de V. O. modo nulla ejus culpa vel mora hunc casum præcesserit. d. l. 23. l. 82. §. 1. ff. de V. O. vid. Matthæum de Afflictis, decis. 50. & ibi Casarem Vrsil.* Præterea etiam liberatur debitor militi chirographum exhibenti solvens, si creditor loco lytri pro liberatione sua instrumentum dederit, *Ioachim. Burger. d. l. in fin.* Et hæc ex jure communi Romano: quæ tamen quodammodo mutata videntur in Instrum: Pacis Os-nabrug. Cæsareo-Suecico, §. IV. vers. contractus. & §. seq. debita.

Thesis XXV.

Consideratis personis, veniamus ad objectum solutionis; quod constituit res debita. Ut enim debitor solutione liberetur, ipsam rem debitam solvere tenetur; nec invito creditori regulariter aliud pro alio solvere potest; *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. l. 16. C. de solut. Wirtemberg. Landrecht. p. 2. tit. 1. §. und zwar solche Bezahlung mit gleichen ding. Georg. Schulz. in tract. de oblat. & obsignat. pecun. cap. 3. num. 5. & seqq.* adeo ut creditor nec debitum fiscale vel Principis Camere pro pecunia in solutum recipere cogatur. *Carpzov. lib. 5. Resp. 107.* Hinc etiam auri debitor, si ignorantia quasi aurum, æs solvat, non liberatur. *l. 50. ff. de solut.* Si vero creditor sponte aliud pro pecunia vel alia re debita acceperit, tunc obligatio quidem tollitur: præstatio vero illa non in specie solutio, sed in solutum datio dicitur; quæ interdum emptionis venditionis, interdum vero permutationis vicem obtinet; & certis in casibus etiam invito creditore jure permittitur: si scilicet res debita solvi non possit, *l. 8. C. de Condict. furt. Auth. Hoc nisi debitor. C. h. t.* Hinc si res aliena fuerit legata, & dominus illam æquo pretio vendere nolit, liberatur heres æstimationem præstando. *l. 71.*